

divinis literis contineri omnia, & ea quidem apertè ac perspicuè expressa, ut nemo possit, nisi obcæcatus, non intelligere &c. Quæ cum ita se habeant, nihil mihi consultius videtur, quàm ut fidei confessio, quæ sit pro Symbolo usurpanda, non solum nihil complectatur, non necessarium cognitum, nihil non verissimum ac certissimum, nihil non divinarum literarum testimonio testatissimum, sed etiam ut nihil complectatur, nisi expressum eisdem etiam verbis & loquendi formulis, (quoad ejus fieri potest) quibus ipse Dei Spiritus est usus. Cujus viri auctoritatem jure me tibi opponere posse videor, quòd & ipse optimè meritus de Ecclesiis nostris & libellus iste SERENISSIMÆ Magnæ Britannia Reginae, Elizabethæ, augustæ memoriæ, dedicatus sit. Inter utilia igitur ad salutem, pro utilissimis ea censenda videntur, quæ necessariâ cõsequentiâ ex Sacris literis elicipi possunt.

Alterum est, quòd etiam si fol: 22. rectissimè dicatur, *Si de verrenda & mundanda domo Dei seriò cogitetur, ad Apostolica tempora, aut Apostolicis proxima potissimum respiciendum*: tamen vicissim conceditur, tempus veræ Ecclesiæ aliquot secula post Apostolos cõplecti. Hoc verò quàm sit periculosum, quis non videt? cum unâ cum ipso statim Ecclesiæ exordio, errorũ etiam semina jacta fuisse, & post ipsum Apostolorum obitum, graves in Ecclesia dissensionès orituras, luculentissimè testatum reliquerit Apostol⁹. Non negari quidem potest aut debet, per tria circiter secula, veritatis Evangelicæ faciem quandam superstitem fuisse; nec prius eam nitorem suum prorsus amisisse, quàm ad unius, aut certè paucorum, imperium, res Christiana omnis redacta fuit: sed incorruptam eam antea fuisse, qui affirmare velit, is Spiritum Propheticum, quo Apostoli Christi præditi erant, erroris tacitè insimulet, necesse est. Præstat igitur, solum verbum Dei sequi, & ea, quæ

A&. 20, 29.